



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Vtrum magnetis virtus alio impediatur. Cap. XLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

Virum magnetis virtus allio impediatur.

CAP. XLVIII.

Nunc ad alias magnetis proprietates pertranseundum, & primo vtrum magnes in attrahendo impedimentum aliquod recipiat. Plutarchus inquit. Maximus illi cum magnete dissensus, quem vocat antipathiam, tantumq; inter has res furdas, & sensu carentes odium, ut ferrum abigat a se, si fricetur allio lapis. Idem confirmat Ptolemeus magnetem non trahere ferrum, si linatur allio, sicut succinum non allicit amplius ad se paleas, nec leuisima quæq; si prius oleo maceretur. Vulgata est sententia inter nautas, quod cæpæ, & allia aduersentur magneti, & qui tali muneri incumbunt, scilicet navigatoriæ cartæ & pyxidi, ab esu cæparum, alliorumq; arcentur, ne in dex polo inebrietur. Sed quum hæc omnia experiret, falsa reperi; nam non solum flatus, & ructus alliorum magnetem a suo trahendi munere non distrahebant, sed torus allii succo perunctus, ita priores functiones obibat, ac si nunquam allio perunctus fuisset, & fere nulla, ne dicam minima differentia notabatur, ne videremur antiquorum conatus tam irruos reddere. Deinde quum famam percontarer, vtrum ab obseruatione pyxidis, qui cæpæ & allia ederint, expellerentur, responderunt, aniles fabellas & ridicula relata esse, & quod eiusmodi homines prius fere vita, quam ab esu allij, & cæpæ se possent abstinere.

Quomodo ebrius magnes ad suum officium redeat.

CAP. XLIX.

Si ebrius magnes fuerit, & a sui officij functione longius abibit, non, ut diximus, allij & cæpæ flatu, sed potius ex alijs partibus magnetis contactus, & obsoleta, languidaque virtus euauisset, hoc modo vegetam, & pristinam virtutem reddi cogemus, sepeliendo illud in ferrea scobe per multos dies, quousq; ex ferri consorcio, vel halitu recte suo fungatur munere.

Quomodo magnetis virtus augetur. CAP. L.

QUAMPLVRIMI sunt, & disertissimi viri, qui magnetis vires augere tentarunt, idq; varijs modis, ut vegetiores virtutes nactus, maximis vltibus utilis esse posset.

Alexan.